sicut miraculorum ita et vaticiniorum autorem esse posse,
qui illam supernaturalem scientiam certis quibusdam
temporibus ad voluntatem suam manifestandam hominibus, quibusdam
quasi instrumentis usus fuit, concessit et quidem
nullum alium in finem quam ad instituendum moralitatis
et felicitatis entium moralium finem. propterea et profetae in
S. literis Dei homines vocantur, qui spiritu sancto afflati
loquebantur. 2 Pet. 1. 21. Et ad dignitatem
suam significandam ora dicuntur, per quod locutus est
Deus. Luc. 1. 70 Spiritus S. dicitur locutus
per os sanctorum, qui a seculo sunt profetarum ejus.
In actibus apostolorum 1. 16 legitur: oportet impleri
scripturam, quam praedixit spiritus S. per os David.
Et in Heb. Multifariam, multisque modis olim
Deus loquens in profetis. Ibi et in locis, sicut
in aliis pluribus profetae a quibus edita sunt vaticinia
tanquam ministri Dei et instrumenta per quae spiritus S.
operatus est, considerantur.
3. Profetias necessario esse revelationis criterium
dubium non est. ~~Est enim~~ Sicut enim miracula, quae cum
a nemine nisi a Deo proficiscantur, non alium nisi
ob finem moralem ad promovendum, stabiliendum regnum
Dei morale vel ad confirmandam veritatem proferri possunt